

DE AVSTRIA,
DE SEPTEM
IMPERATORIBVS AVSTRIÆ,
DE QVE OCTAVO, EX EADEM
FAMILIA,
IMPERATORE
MAXIMILIANO II.
ROMANORVM, HVNGARIÆ,
ATQVE BOHEMIÆ, &c. REGE
TER MAXIMO.



VBI
SACRIS IN LITERIS DESIGNENTVR;

f D Q V E

Multis annorum millibus ante, quam in natura
rerum existerent.

MICHAEL E AB ETTZING
Sacra Cas: Maiest. Aula familiaris

Authore:
Prefatus ac Doctrina protestanti Viro. Dr. Martino Eysenreim
Sacra Cas: Marci: Dni tri clementissimi a Concordie
Sarris, dignissima Omni Reverentia et amariori obhendit.
Anno DD

VIENNÆ AVSTRIÆ EXCV.
debat Caspar Stainhofer.

Anno M. D. LXVII. Mense Martio,
Cum Privilegio Cesareo.

EDICTVM CÆSAREVM

Anno 1567. 29. Ianuarij.

MA X I M I L I A N V S Secundus diuina fauente clementia Ele^ctus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germanie, Hungarie, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Styrie, Carinthiæ, Carniolæ & Wircemberge, &c. Comes Tirolis, &c. NOTVM esse volumus vniuersis. Quod cum fidelis nobis dilectus Michaël ab Eytzing, Aula nostræ Cæs. familiaris, humiliè nobis ostenderit, Se Tractatum seu libellum quendam DE AVSTRIA, DE QVE AVSTRIAE IMPERATORIBVS ex sacris composuisse, quem in lucem edere Typisq; excudendum tradere in animo habeat, dummodò fauore & priuilegio nostro Cæsareo, contra æmolorum fraudes et dolos qui forte ipsum aut Typographum vitiosa æmulatione debito fructu ac æmolumento fraudare conabuntur, tutus & munitus sit. Nobis idcirco quam humiliè supplicando, ut ipsi benigna nostra ope adesse dignaremur, quod dictum libellum tuto prælo committere possit. Nos itaq; attenta petitionis eius æquitate scienter atq; animo benè deliberato, deq; Cæsarea authoritate nostra, seriò ac firmiter inhibemus ac vetamus vniuersis, ne quisquam in toto Romano Imperio, & omni ditione nostra præfatum libellum dicti Michaëlis ab Eytzing intra spacium quatuor annorum continuò à prima eius æditione supputandorum, cura expressam voluntatem & consensum eius immitari vel imprimere, seu alibi impressum intra Imperij & ditionum nostrarum fines adducere, vendere, vel distractere, clamue palamue ausit vel præsumat. Quod si quis contra fecerit, pœnam amissionis omnium librorum, & insuper multam decem Marcharū auri puri fisco nostro Imperiali vel Cameræ nostræ, ipsiq; Michaëli ab Eytzing ex æquo irremissibiliter pendendam toties quoties contra factum fuerit, se nouerit ipso facto incurrisse. Mandamus porrò vniuersis et singulis nostris & sacri Imperij subditis atq; fidelibus cuiuscunq; præminentie, status, & conditionis existant, ut hoc nostrum Edictum & Priuilegium conseruent & exequantur, obseruariq; & executioni mandari per quos decet faciant, quatenus Gratiam nostrâ charam habuerint, & pœnas prænarratas cupiant euitare. Harum Testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Data in ciuitate nostra Troppa, die 29. mensis Ianuarij. Anno Dñi M D LXVII. Regnum nostrorum Romani Quinto, Hungarici Quarto, Bohemiæ verò Decimo octauo.

MAXIMILIANVS

Ad mandatum Sacrae Cæsareæ
Majestatis proprium.

V. Zafius.

Univ. Bibl.
München

M. Simckhmofer.

D I V O

MAXIMILIANO II.

**CÆSARI AVGVSTO, PIO, MAGNO,
PACIFICO, AC A DÉO CORONATO
IMPERATORI**

*Romanorum, Hungariæ atq; Bohemie, &c., Regi
TER MAXIMO.*



OANNES ille Stabius (Imperator Inuictissime) qui olim à diuo Maximiliano Cæsare laudatissimæ memoriæ, haud vulgariter amabatur. Historicus atq; Poëta eruditissimus, in opere quodam suo, Maximilianum (utpote cuius Historicus esset) inde ex archa Noe, vnde totum genus humanū prodijt, longissima serie deducens, Stemmatis atque originis Cæsareæ Maiestatis suæ tertium Noachi filium Iaphet videlicet, authorem fuisse statuit. Idem & Ieronimus Gebuillerus in libello ad Ferdinandum inuictissimum Cæsarem eius nominis primū, parentem Maiestatis tuæ charissimum, Imperatorem fœlicissimæ recordationis piissimum, & latina & patria lingua, perpetua quadam serie continuando, conatus est. Adeo, ut ego quidem tametsi horum continuationes (vt ingenuè dicam) me non vidisse, verùm de ijs apud Ioannem Cuspinianum in Austria sua duntaxat legisse fateor: credo tamen has esse vel ideo etiam quām verissimas, Nimirum, quod Nohe cum benediceret Iaphet filio suo his verbis: **DILATET (inquit) DEVS IAPHET ET INHABITET IN TABERNACVLIS SEM, SITQVE CHANAAN SERVVS EIVS, &c.** Iam verò, quæ Cæsar Inuictissime, Austriacos hac in parte superet prosapia (absit tamen adulatioñis omnis suspicio) nullam prorsus inuenio. Austriaci etenim, in terra tā diu longè, lateq; dominantur, vt aliquando literarum Vocales, quas Symboli loco Austriaci olim habuisse leguntur, ita non sine ratione interpretatus videar, Austria **A.E.I.O.V.** videlicet Extendi In Orbem Vniuersum. **Nam quæ pars est totius Christianitatis, quām Austria, vel consanguinitate vel affinitatenon contingat?** adeò in vniuersum orbem dilatata est Iapheti propago. Faxit omnipotens D E V S, vt, quæ nunc habitat in tabernaculis Sem eadem aliquando Chanaan vt seruum sibi quoq; subijciat.

III

At verò, gratiam hanc continuatæ ac eum in modum dilatatæ propaginis Austriacos à Deo Opt. Maximo, non ob aliam causam esse consecutos existimari potest, quam quod D E V M pura mente colendo & amauerint, & eius diligenter præcepta obseruauerint.

Neq; enim in tertiam nedum quartam generationem illis prosapia

Exod. 20. alias continuare licuisset. Cùm idē omnipotens Deus Ego (inquit)

SVM DOMINVS DEVS TVVS FORTIS ZELOTES VISITANS
INIQVITATEM PATRVM IN FILIOS IN TERTIAM ET
QVARTAM GENERATIONEM EORVM QVI ODERVNT
ME, ET FACIENS MISERICORDIAM IN MILLIA HIS QVI
DILIGVNT ME, ET CVSTODIVNT PRAECEPTA MEA.
Hanc igitur eandem ob causam Devs etiam Spiritus, hoc est Regna
& Imperia Christi nomine in terris administranda, proculdubio
Austriacis subjcere voluit, vt illis non tantum præessent (nam hoc
& cum alijs Regibus atq; Imperatoribus quorum nomin^a in terris
hoc est historijs de Regnis atque Imperijs terræ tractantibus scripta
sunt commune habent) verū ut hoc modo etiam Austriaci præ-
essent, quò à Deo præ cæteris omnibus Regibus atq; Imperatoribus
peculiariter ad hoc administrandi, ac Spiritibus imperandi munus
vocati conspicerentur. Neq; enim in vlla familia præter Austria-

cam continuata seriè Sex ordine Imperatores vnquam extiterunt,

quorum ex numero primus & vltimus trium regnum Romanorum
scilicet Hungariæ atque Bohemiæ intra vnius anni spaciū,
magno (vt nuper Cæsareæ Maiestati Tuæ contigit) cum populi
applausu diademata sibi imposita acciperent, Veruntamen NOLITE

Luc. 10. (inquit Christus) GAVDERE, QVIA SPIRITVS VOBIS
SVBIICI VNTVR, GAVDETE AVTEM QVOD NOMINA
VESTRA SCRIPTA SINT IN COELIS. Videamus igitur

an etiam in coelis, hoc est, in sacris literis quæ à cælando coelis non
sine ratione comparari possint, Austriacorum nomina alibi scripta
inueniantur. Et certè, Si Maiestas Tua Cæs. has, quæ paulò post
subijcentur, figuræ clementer intueri, easque propositiones, quibus
figuræ breuibus explicantur vnà cum Austriacorum Imperatorum

Genes. 5. ad Decem veteris Testamenti Patriarchas ab Adam ad Nohe usq;
collatione instituta perpendere non dedignetur. Videbit profectò

Cæsarea Tua Maiestas, non solùm Austriæ, nec Septem duntaxat
Imperatorum eiusdem familiæ Austriacæ, verū & Maiestatis Tuæ

Proprium nomen, idque multis antè annorum millibus quam vel
Austria, vel vnquam Imperatores Austriaci, vel etiam Cæsarea Tua
Maiestas in terris existeret, sacris literis tanquam Coelis inscripta
nomina,

Quod

Quod cùm (vt infrà clariùs ostendetur) ita sit, Hæcq; Materia dulcissimam Cæsareę Maiestatis tuę Patriam, charissimos Parentes, Adeoq; propriam Maiestatis tuę personam, nomenque concernere videatur. Non potui, vt qui Sacræ Cæsareę Maiestatis Tuę Aulę familiaris sum quām subditissimus, nec debui etiā vel officij ratione committere, quin ad anni huius noui fœlix auspiciū, hoc quicquid est meę inuentionis Sacræ Cæsareę Maiestati Tuę, qua decet omni Reuerentia è humilitate consecratum inscriptumque dicarem atque offerrem. Sacram Tuam Cæsaream Maiestatem orans quām humilimè, vt studium hoc meum clementer probare, idemque fouendum suscipere ac pro innata benignitate Sacra Cæs. Maiestas tua dicere dignetur :

PROTEGAM EVM,
QVONIAM CO-
GNOVIT NO-
MEN ME-
VM.

Psalms. 90.

Sacra Cæs. Maiestatis Tua

*Subditissimus Aula
familiaris*

*Michaël ab Eytzing
Austriacus.*

IN FIGVRAM E

REGIONE POSITAM.

NICOLAI MAMERANI
POETÆ LAVREATI,
Carmen.

S *Vmmos Imperij Dominos de sanguine septem*
 R *Respicis Austriaco septem de rupe columnis*
Arcano excisis iussu, Salomonis in ade
 A *Aptatos sacra, diuini in numinis usum.*
Lucidus ut posset discerni temporis ordo
 A *Adducto longè firma ratione futuros*
Omine, ad Imperium, claros quos Austria mittat
 F *Fælix præ cunctis mundi ditionibus una*
Magnanimos dominos quos ista tabella figurat
 M *Monstrat & aspectu seriem ponitq; videndam*
Ordine perpetuo per congrua tempora ducto
 C *Clare dispositos, ducens ab origine prima*
Numine cœlesti sic nutu cuncta regente
 F *Fundamenta rei fore duratura futura.*

Matib. 12.


REGINA AVSTRI
 VENIT A FINIBVS TERRÆ
 AVDIRE SAPIENTIAM
 SALOMONIS,

SEPTEM

SEPTEM COLUMNAE.

Septem ex Austrica domo, à Septem Imperij proceribus electos Imperatores denonciant, Rhudolphum videlicet, Albertum 1., Albertum 2., Fridericum 3., Maximilianum 1., Carolum 5. & Ferdinandum 1. de quibus fol. XI. VII
LAUREA PATRIARCHIS ORNATA.
Octauum ex Austrica domo Imperatorem Maximilium eius nominis II. veluti IANVM
significat, de quo fol. XIII., XVII., XVIII.

I



INVENIT

MICHAEL AB EYTZING
AVSTRIACVS.

6. LITERÆ.

BRASIT primam in Biblio Hebreorum que (IN PRINCPIO) sonat dictiōnēm denonciant, Gen. I.
vnde AVSTRIA colligitur, ut infra fol. VIII.

5. LITERÆ.

A. S. E. C. M. I. A. M. L. nouem Patriarchas Adam videlicet, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Anoch,

DE AVSTRIA

PROPOSITIO I.

AVSTRIAM PER PRIMAM VETERIS
TESTAMENTI HEBRAICAM DICTIONEM
(BRASIT) QVÆ IN PRINCIPIO LATINE SQNAT,
OLIM FVISSE DESIGNATAM,

RATIO.

Aut enim in Circulum sex literas dictionis BRASIT descriptas con-
sideramus: tunc AVSTRIAM, ex ductu linearum, hoc pacto colligimus.



Aut in lineas sex literas dictionis BRASIT, deductas consideramus:
tunc AVSTRIAM, ex ambitu circuli hoc pacto legimus.



Ita ut per primam veteris Testamenti dictionem BRASIT, olim
designatam fuisse Austria non sine ratione proposuerim.

OBIECTIO I.

I.

SED plures, obijciat aliquis, veteris Testamenti prima dictio, quam Sex literas continet, Non enim B R A S I T, sed Bereschith Hebræi pronunciant. Solutio, Sed sex literis duntaxat scribere, pro punctorum autem ratione pluribus efferre solent, ut ex eorum libris conspicitur.

II.

NON dicimus A B S T R I A, sed A V S T R I A. Solutio, Græci in Oriente Vita pro Bita, Hispani vicissim in Occidente Deprabans, pro Deprauans, sicq; B. pro V. indifferenter enunciant, quos & nos, hac in parte, vt non A B S T R I A M, sed A V S T R I A M dicamus immitari possumus.

III.

Tame si præterea (quod mirabile, atque incredibile videtur) rationem de mundi, rerumq; omnium creatione Vniuersam in hac dictione Brasit aperiri nobis, atq; explicari verum est: præcipue si & capiamus, & secundum regulas quas Hebræi tradunt, dictiones inde conflatas, ritè coagimentemus. Hinc enim fit, vt qualis sequitur, talis orationis hoc pacto texatur series.

A B	Pater	אָבָ
BEBAR	In filio & per filium	בְּנֵר
RESITH	Principium	רָאשִׁית
SABAT	Quietem & finem,	שְׁבָתָ
BARA	Creauit	כְּרָאָ
ROSC	Caput	רָאשָׁ
ES	Ignem	אֵשׁ
SETH	Fundamentum	הַשָּׁ
RAB	Magni	רָבָ
HISC	Hominis,	יִשְׁ
BERITH	Fœdere	בְּרִיתָ
THOB	Bono.	תְּבָ

Hicitamen non obstat, quo minùs & Austria, imò vel maximè Austria, per hanc veteris Testamenti oīum primam dictiōnē B R A S I T, verè significari credamus. Ac fieri solet, vt quæ prima [�] sunt apud Deum, ea quo ad nos, existant ultima. Vnde & Austriaci ^{A.E.I.O.V.} Erunt Imperatorum Omnia Ultimi, ex quinq; vocalibus literarum colligo.

MANET igitur verum quod proposui. Austriam nimicum, per primam dictionem BRASIT olim & à principio fuisse designatam, ita ut de Austria non inconuenienter hoc Psalmi adseriri possit:

Psalm. 39.

IN CAPITE LIBRI
SCRIPTVM EST DE
ME, VT FACEREM
VOLVNTATEM
TVAM DEVS
MEVS.

CONTINVATIO AD
sequentia.

NUNC ad secundam propositionem, qua est de Septem Austria Imperatoribus, Serenissimam Cesaream tuam Majestatem in Imperio praecedentibus conuertamur. Nam de Austria hactenus (ut opinor) pro instinti ratione satis dictū esse videtur. Cū meum non fuerit propositum, hic Locorum ac limitum ratione descriptionem Austria instituere. Quippe quod in Austria sua id ipsum Aeneas Sylvius, Io. Cuspinianus, Wolfgangus Lazius, alijqz viri insignes ante abunde praesliterint. Sufficit itaqz breuibus hucusqz ostendisse, ubi in Biblijs Austria denotata conspiciatur.

DE

**DE AVSTRIÆ
SEPTEM IMPERATORIBVS.
PROPOSITIO II.**

**SEPTEM IMPERATORES AVSTRIACOS
PER SALOMONEM DAVIDIS FILIVM
OLIM FVISSE DESIGNATOS.**

R A T I O.

Si enim (vt sequitur) duas primas, duas medias, duas ab initio & fine consideratas penultimas, atq; vnam ultimam, ex Austria-corum Imperatorum nominibus ordine transumpseris, SALOMON hoc pacto elicies.

1. rhudolphu	S
2. Albertus	A
3. aL bertus	L
4. frideric	O
5. Maximilianus	M
6. car Olus	O
7. ferdi N andus	N.

Ita vt septem Imperatores Austriacos, per Salomonem Davidis filium, designatos olim fuisse, non sine ratione proposuerim:

O B I E C T I O I.

SED plures sunt Imperatores Austriaci quam Septem. Nam insignes illi Historici Ioā. Cuspinianus, Guolphgangus Laziū, & alij, octo ante Cœlaream Tuam Maiestatem, Imperatores fuisse asserunt, FRIDERICVM Austriacum Ludouici Imperatoris competitorem, tanquam Imperatorem adjicientes. SOLVTIO. Si Ludouicus Bauarus, Fridericum eò angustiæ non redegisset, vt captus dubio Imperio sese abdicaret, fortè pro Imperatore computari debuisset. Verum Alberti secundi successor Fridericus, eius nominis non quartus, sed tertius Imperator scribitur, sicut omnibus patet, Ideò in Imperatorum Austriacorum ordinem, suprà non fuit collocandus.

OBJECTIO


II.

Non dicimus FRIDERICOS sed FRIDERICVS. Solutio, Hcbræ litera Vau pro V. & O. indifferenter. Græci verò OV per V cunctiant, ergo & nos in nomine SALOMON, quod recta ratione, ex Septem Imperatorum Austric nominibus colligitur, indifferenter O per V in Friderico positum, efferre possumus.

III.

Tamen si porro sequens figura, cui cum septem Columnis, Salomonis nomen hoc pæcto inscribitur,

I



De Septem Imperij Electoribus intelligenda videatur, quorum insignia suo ibidem ordine collocata conspicuntur sic, ut Domus Germanicum Imperium: Septem columnæ VII. Electores significare possint. Hic tamen non obstat, quo minus septem ille columnæ, ad VII. Imperatores ex Austric domo, pro mea, qui hanc figuram in cum finem composui intentione, propriè referende sint.

EPILOGVS.

Manet igitur firmum quod proposui, Septem videlicet Imperatores Austriacos, per Salomonem Dauidis filium olim fuisse designatos, ut de illis non inconuenienter illud Proverbiorum afferri possit:

Proverb. 9.

SAPIENTIA AEDI-
FICAVIT SIBI DO-
MVM, EXCIDIT
COLVMNAS
SEPTEM.

CONTINVATIO AD
sequentia.

NUNC ad tertiam propositionem, qua est de Octavo Austria Imperatore Maximiliano, conuertamur. Nam quibus ex parentibus nati sunt præcedentes Imperatores, quos filios filiasque procreauerint, item quas memoria dignas, in regnis atq; Imperijs sibi à Deo commissis, res gesserint, locus non est hic narrandi. Quando alibi Iohannes Cuspinianus, Lazius Vienensis, alijsq; insignes Historici, idipsum ante abundè praefliterint. Itaque brevibus hic duntaxat attigisse sufficiat, ubi videlices Sacris in literis septem, quos dixi, Imperatorum Austriae fuerit habita ratio.

XIII

DE AVSTRIÆ
OCTAVO IMPERATORE
MAXIMILIANO II.
PROPOSITIO III.

OCTAVVM AVSTRIÆ IMPERATOREM,
PER PATRIARCHAS, OLIM AB ADAM
VSQVE AD NOHACHVM ORDINE SIBI
INVICEM SVCCEDENTES, FVISSE DESIGNATVM.

R A T I O.

Aut enim in Circulum 9. literas capitales Patriarcharum 9. qui ante Noachum
fuisse in Genesi leguntur descriptas consideramus: tunc sequentes linearum
ductum inde MACSÆMIL hoc pacto colligimus.



Aut in lineas, easdem 9. Patriarcharū literas capitales deductas consideramus:
tunc sequentes ambitum circuli, MACSÆMIL hoc pacto legimus,



Ita ut per nouem patriarcharum literas capitales A.S.E.C.M.I.A.M.L. ordinata quadam
transpositione seu Metathesi obseruata, colligitur MACSÆMIL, cui pro Noacho adiicitur
LANVS, & fit Sac. Cæs. T. Maiestatis nomen MACSÆMILIANVS recta quadam ratione
sacris literis insertum, tibiq; Cæs. Inuictiss. tanquam alteri IANO propriè dicatum.

OBIE-

OBIECTIO

I.

XV

SED plures, obijciat aliquis, si ita scribatur Cæsareæ tuæ Maiestatis nomen continebit literas: Non enim Macsimilianns per CS, Sed Maximilianus per X scribimus. SOLVTIO. Sed mysterio figuræ X crucis, qua Ægyptij, & post eos Plato, Mundi animam olim significare voluerunt, X litera in C & S, ex quibus componitur, est resoluenda.

II.

NON dicimus MaxÆmilianus per Æ diphongum, Sed Maximilianus per I vocalem. SOLVTIO, Compositionis ratio A & E duas vocales in vnam, I videlicet contrahit: perinde ut econtrario, vnum X in duas consonantes C & S ut antea dictum est resolutio conuertit. Simpliciter enim loquendo nunquā Imilianus, sed Æmilianus, vnde Maximilianus originem alias fortiri videtur, enunciamus.

III.

Tamen si præterea in Cæsareæ Tuæ Maiestatis nomine, duæ Consonantes CS in vnum X:duæq; vocales A & E in vnum I, ut dictum est antea, contrahimus, idq; non sine denarij mysterio, propterea quod, ut Nohe ab Adam decimus existit, ita & Tuæ Cæs. Maiestas à Rhudolpho, primo Austriacorū Imperatore, simili modo denarium ut sequitur implet, qui quidem denarius, per X apud Latinos, per I verò seu Iota apud Hebræos notari solet.

1.	Adam	Rhudolphus	i.
2.	Seth	Albertus	ii.
3.	Enos	Albertus	iii.
4.	Cainan	Leopoldus	iv.
5.	Malaleel	Ernestus	v.
6.	Iared	Fridericus	vi.
7.	Anoch	Maximilianus	vii.
8.	Mathusalem	Philippus	viii.
9.	Lamech	Ferdinandus	ix.
10.	Nohe	Maximilianus	x.

Tamen, si nominis originem spectare velimus, tam Macsimilianus per 9. quam Maximilianus per 7. literas, dictionem IANVS antecedentes, vel propter 9. Tuæ Maiestatis progenitores: vel etiam propter 7. ab eodem Rhudolpho, te ex Austriaca domo præcedentes Inuictissimos Imperatores, vtrq; modo forte scribi posse videtur.

E P I L O G V S.

Manet igitur inconcussum quod proposui. Octauum videlicet Austriæ Imperatorem, per Patriarchas olim ab Adam vsq; ad Nohe, qui & I A N V S dicitur, ordine sibi inuicem succedentes, fuisse designatum: adeò, vt quia patriarchæ, ex quibus Maximilianus colligitur, ferè ab initio libri Geneseos capite scilicet § suo ibidem ordine recensentur) de Maiestate tua Cælarea non inconuenienter illud Pauli huc adferri possit:

Hebr. 10.

IN CAPITE LIBRI
SCRIPTVM EST DE
ME, VT FACIAM
VOLVNTATEM
TVAM DEVS
MEVS.

CONTINVATIO AD
sequentia.

Absolutis haec tenus tribus propositionibus, quibus, licet breuiter dilucidè tamen, me ostendisse arbitror, vbinam Austriae, vbi Septem Austriae Imperatorum, vbi deniq; Octauia ex eadem familia Imperatoris ratio, sacris in literis fuerit habita. Supereft ut (priusquam in calce explicationis huius me.e, quædam ex Biblijs verba, periculosisimo præsertim hoc tempore nostro, diligenter perpendenda attulero) De collatione decem ab Adam patriarcharū cum ijs, qui à Rhudolpho hucusq; sunt, Imperatoribus Austriae, breuissima sed suo loco ac tempore fusius explicanda instituatur tractatio.

DE

**DE AVSTRIÆ
IMPERATORVM COLLATIONE
CVM DECEM PATRIARCHIS AB ADAM
AD NOHE (qui & Janus dicitur) SIBI INVICEM,
SVCCEDENTIBVS.**

AD Comparationem hoc loco ritè instituendam. Scire necesse est: Primum qualis sit illa successio eorum, qui à Rhudolpho ad Maximilianum vsq; hoc ordine sequuntur.

RHUDOLPHVS I.
ALBERTVS I.
ALBERTVS II.
FRIDERICVS III.
MAXIMILIANVS I.
CAROLVS V.
FERDINANDVS I.
MACS- 5. I. 4. 2.
AEMIL- 7. 3. 8. 6. 9.
IANVS. SECUNDVS.

Nempè spiritualis, hoc est ab Imperij septem Electoribus, tānq; spiritibus mundum post Deum, siue Imperium post Imperatorem gubernantibus, procedens: non autem ex propria carnis voluntate, succedendi naturalem trahens originem.

Deinde qualis sit illa successio, eorum, qui ab Adam ad Nohe hoc ordine sequuntur.

ADAM.
SETH.
ENOS.
CAINAN.
MALALEEL.
IARED.
ANOCH.
MATHVS ALEM.
LAMECH.
NOHE. Janus PRIMVS.

Nempè animalis, non à spiritus, sed corporis Adami instinctu proprio, sibi duntaxat initiu asciscens. Sic, vt hoc pacto Adam ab anima

XVIII

ab anima Animalis, Rudolphus verò Ruah, quod Spiritū Hebræis significat, spiritualis successionis author esse, atque hoc applicari posse videatur, illud Pauli: *¶ Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuiscentem, sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale.* Primus homo de terra terrenus, Secundus homo de cœlo cœlestis. Sed haec tenus Pauli verba sufficiant. Nunc quomodo nouissima primis, prima nouissimis. Item paribus paribus, omnia omnibus, &c ratione ac similitudine, in hac instituta collatione respondeant, longiorem sanè, quam quā hīc breuibus explicare potui, tractationem requirit. Cūm autem Sac. Cœs. Maiestati tuæ, hoc studium meū clementer probari intellexero, tum non solum in Sac. Cœs. Maiestatis tuæ persona Noachum, Sed & in Sacratissimis Auctrię Imperatoribus tuam Maiestatem precedentibus, etiam alios, qui Noachum antecesserunt Patriarchas hoc ferè collationis ordine,

1. Adam	R H U D O L P H V S	I.
2. Seth	A L B E R T V S I.	2.
3. Enos	A L B E R T V S II.	3.
4. Cainan	F R I D E R I C V S III.	4.
5. Malaleel	M A X I M I L I A N V S	5.
6. Jared	C A R O L V S V.	6.
7. Anoch	F E R D I N A N D V S	7.
8. Mathusalem	M A C S - 5. 1. 4. 2.	8.
9. Lamech	A E M I L - 7 3 8 . 6 . 9 . IX.	
10. Nohe	S V N A I A N V S.	X.

reuixisse quodammodo, multò, quam ob breuitatem hīc fieri potuit, clariùs ostendam: *¶ Quid enim est (inquit Ecclesiastes) quod fuit? ipsum quod futurum est, Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Eccles. I. 3 Adde, quae futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat, quod abijt. Si ergo in Sacra Cœs. Maiestati tuæ persona, tanquam maximo è mille I A N O, Ianus ille bifrons, à Ian, quod vinum Hebræis sonat, ita dictus, instauratur. Sicq; diuini spiritus gratia, per te repræsentari videtur, Ut, quemadmodū tu Imperator inuictissime, & Decimus & Octauus à Rhudolpho, diuersa tamen ratione existis: ita Nohe quoq; ab Adam decimus sit, Gen. 5. & octauus dicatur, 2. Pet. 2. Nihil insuper pro conclusione tractationis huius aliud, quam hæc quæ sequuntur, euersis ac deploratis his temporibus nostris diligenter consideranda, ex Biblijs verbâ subscribere, meq; his quam humilimè Sacra Cœs. Maiestati tuæ commendare volui.

Gen. 5.
2. Pet. 2.

Gen. 6.

Genes. 6.

Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, omni tempore.

Genes. 7.

Deleuit Deus omnem substantiam quae erat super terram, &c. Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in Arca.

1. Cor. 10.

Hæc omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, ad quos fines sæculorum deuenerunt.

Math. 24.

SICVT ENIM IN DIEBVS NOHE,
ITA ERIT ADVENTVS FILII
HOMINIS.

1. Reg. 2.

Domini sunt cardines terre, &
posuit super eos orbem.

Spec. 21.

Ego sum & & o initium
& finis.



1. Reg. 2.

Dominus iudicabit fines terræ, & dabit
Imperium Regi suo, & sublimabit
cornu Christi sui.

